Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Schnobel     Matthaeus Sassenhagen

# Dissertatio Iuridica De Iurisdictione

Rostochii: Kilius, 1649

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732591236**

Druck     Freier Zugang     PUBLIC DOMAIN

Rechtsprechung

I. Schnobel (M. Sassenhagen) Vert.

R. U. un. 1649.

le

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732591236/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732591236/phys_0002
DFG

6

# DISSERTATIO JURIDICA
## DE
# JURISDICTIONE

Quam

Divina favente Gratiâ,
Conſentiente Nobiliſſimâ & Ampliſſima Facultate Juridicâ, in inclyta ad Varnum Academiâ,

*PRÆSIDE*

*VIRO Ampliſſimo, & Conſultiſſimo,*

**DN. JOACHIMO SCHNOBELIO,**

J. U. D. & ejusdem P. P. celeberrimo, Præceptore ac Mecænate ſuo ſummo obſervantiæ cultu devenerando,

*Publico examini ſubmittit*

Ad d. 22. Decemb.

**MATTHÆUS SASSENHAGIUS,**
Schlavia-Pomeranus.

*Seneca.*

*Summa dementia eſt, in tanta temporis egeſtate ſupervacanea diſcere; ſumma fatuitas, jus abolitum, defæcatas antiquitatum quisquilias ſcrupuloſè indagare, in non neceſſariis incaneſcere, & deciſiones quæſtionum quotidiè occurrentium negligere.*

Universitäts-Bibliothek Rostock

ROSTOCHII,
*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typ. 1649.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732591236/phys_0003
DFG

Reverendiſſimo, Illuſtriſſimo, Celſiſſimo
Principi ac Domino

# DN. ERNESTO BOGISLAO,

## Duci Croyæ & Areſcotthi, Sacri Romani imperij Principi, Electo Epiſcopo Camminenſi, Marchioni Havaræ, Comiti Fontenæi ac Bajonæ, Dynaſtæ in Dompmartin & Vinſtingen &c.

Domino meo Clementiſſimo.

## S. P. D.

*Reverendiſſime, Illuſtriſſime, Celſiſſime Princeps, Domine Clementiſſime, Anteacti diũ mens mea memoriam recordatur quadriennij, tantum abeſt, ut Celſiſſimi Veſtri favoris Gratiã non repetat, ut potius exæquantium horas beneficiorum camlogum indies recenſeat. Tantam enim Clement. Vræ. Munificentiam, tantam erga me, quamvis adhuc tironem, Benevolentiam, tacitus nullo modo præterire poſſum. Bello namq; in regionibus noſtris flagrante, cum undiq; circumſepti erant limites periculis, Illuſtriſſima Vra me ſalvum duxit Clementia. Non licitum eſt jam repetere grata, quæ per integrum biennium, in Ill. V. aula me bearunt quàm plurima, pro quibus umbram duntaxat gratioris animi depictam offerendi dedit occaſio; Sed tantùm hoc impræſentiarum deprædico inæſtimabile meritum, quo ſub diſceſſũ ad ingrediendam horum ſtudiorum rationem non ſolùm; ſed etiam ad ſuſcipiendam V. C. vox, Illuſt. V. C. Conſiliorum authoritas author exiſtens, ſic in Cl. V. fidem accepit ut Clementia Vra Celſ. præſente, eruditiſſimisq; votis & ſermonibus inter via moleſtias radiantibus, levatus potius, quàm acerbitate diuturni ac tunc temporis periculoſiſſimi ad hoc Varnos Balthicum Muſarum emporium itineris violatus lætarer. Quæ tanta cum ſint merita, ut omnem ſtudiorum finem jure ſuo repetituræ, totum me, qui alias ſum, ſubjectum ſpondeant, fas eſſe ducebam in humile ſubjectionis ſignum, primitias etiam ſtudiorum V. J. C. ſacras nuncupare. Accipias igitur has ſtrenæ loco, non ut redhoſtimentum meritis condignum, ſed ut humilimæ clientelæ debitum, clementiſſima in me favoris ac Promotionis perpetuæ lance declinaturus, ô Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime! Deum veneror, ut cum Celſit. V. MATRE Domina mea Clementiſſima Ill. V. Celſ.: Eccleſiæ, Reipublicæ & literis diu florentem ac incolumem ſervare velit! Roſtochij Calendis Januarij Anno Virginei partus ſupra milleſimum & ſexcenteſimum quinquageſimo, quem Deus omnibus ſalutarem eſſe jubeat!*

*Illuſtriſſ. Vræ Celſ.*

Subjectiſſimus Cliens

Aut. & Reſp.

THESIS I.

PAtrocinante Divina potiſſimùm Triade, quam ardentibus deveneramur precum ſuſpiriis, ut pia ſpiritu ſapientiæ conamina ſecundare dignetur! latiſſimæ JURISDICTIONIS, quæ baſis eſt & fundamentum judicij, teſte *Reinkingk lib. 2. Claſſ. 2. cap. 17. n. 1. de Regim. Secul. & Eccleſiaſt.* in quo omne jus vertitur, dicente *Weſemb. in par. ff. de jurisd.* Compendium ſolidaturi, ipſius nominis rationem primo habebimus, tum ob inſignem hujus indagationis uſum, quem notat *Scal. Exerc. 1. ſect. 1. Ariſtot. 4. Metaphyſ. tex. 10. Gödd. ad Rubr. in pr ff. de V. S.* tum ob Exempla, Excellentiſſimorum JCtorum, Ulpiani *in l. 2. ff. de Sponſal.* Pauli *in l. 35. §. 1. de mort. cauſa don. &c.* Ut ut potiorem rerum curam eſſe habendam nos minimè lateat *l. 3. §. 9. ff. de adimend. & transf. legat. l. 17. & ſeqq ff. de LL.*

2. Itaq; inſpectâ Juriſdictionis, quæ à jure dicendo *l. 1. ff h t.* non à jure & ditione, ut *Azo, Fulgoſius, Zaſius*, & alij volunt, nomen mutuatur, origine, Homonymiam ſollicitantes comperimus vocabulum juriſdictionis uſurpatum *latiſſimè*, pro ipſa judiciaria lege vel edicto perpetuo *l. 31. ff. ad L. Cornel. de falſ. l. 2. C. de Condit. inſert. §. 2. Inſt. de bon. poſſ. §. 3. 7. 8. 12. 13. Inſt. de Action. §. 1. de obligat. eod.* ejusdemq; exercitio *l. 11. ff. de in jus voc. l. 63. ff. de ædil. ed. l. 13. ff de LL.* Interdum pro ipſâ jurisdicendi functione *l. 1. ff. h. t. & LL.* iniuncto officio *§. 1. Inſt. de Attil. Tutor.* Non tamen tantæ eſt laxitatis, ut etiam pater in filium, Præceptor in diſcipulum, tutor in pupillum, maritus in uxorem animadvertendo Jurisdictionem exercere; ſed potius legis beneficio, id quod ratio patriæ & œconomicæ poteſtatis exigit, adimplere cenſeantur *l. poteſtatis 215 ff. de Verb. ſig. pr. Inſt. de his qui ſui vel alien. tot. tit. inſt. de patr. pot. l. 10. ff. h. t.* Sic quoq; jus patronatus vel protectionis nullam jurisdictionem tribuit, *Conrad. Schleifius Pomer. J. C. illuſt. not. par. 1. ad tit. de Id. n. 19.*

3. In *lata* ſignificatione, quæ hujus loci eſt, jurisdictio omnem omnino jurisd. h. e. pleniſſimam, ſub qua tamen non veniunt Regalia *c. un. de decimis in Extravag. Commun. verſ. de iis quoq;* ulnis ſuis complectitur, quæ definitur quod ſit cauſas cognoſcendi & judicandi, judicatiq; exequendi

 poteſtas

poteſtas *l. à Divo 15. ff. de re jud. Don. 17. Com. 6. Anton. Matth. diſp. de jurisd.* § 1. Genus, poteſtatem quod diximus, nos hic eâ alias homonyma *l. 215. ff. de V. S.* generaliter, pro legitima facultate jure conceſsâ utimur vid. ſis *Sutheld. th. 176. Diſput. inaugur. de jurisd.*

4. Definitionem excipit diviſio. Etſi autem jurisdictio totum intellectuale, & individuum ſit *l. 72. ff. de Verb. obl.* Conſtat tamen ex diverſis & ſeparatis actibus, ut notat *Zaſius 2. Reſponſ. cap. 31. n. 3.* & ex propoſita jurisdictionis definitione, ultrò dimanat illa principalis ſecundum formam facta diviſio, juxta quam Jurisdictio alia eſt Contentioſa, alia Voluntaria.

5. Voluntaria eſt, quæ in volentes & de certo negotio conſentientes, publicæ authoritatis, aut ſolemnitatis cauſa, ſine ſtrepitu judicij, vel in ædibus privatis, imo etiam in æde ſacra, in ipſo etiam itinere vel tranſitu, itemq; tempore quolibet *l. 2. ff. de off. procons.* in ipſis feriis, imo etiam de nocte expeditur *l. 8. C. de fer. Specul. in tit. de fer. n. 1. Weſenb. par. ff. eod. n. 5.*

6. Contentioſa, quæ in invitos litigantes, & judicio contendentes, vi imperii ante tribunal, certis diebus exercetur *d. l. 2. ff. de off. procon.* eſt vel Criminalis, *germ.* daß höheſte / oder Halßgericht / vel Civilis das Untergericht. Illa notio eſt & executio cauſarum Criminalium *l. 1. ff. de off. ejus*: iſta Civilium. *Gov. lib. 2. de jurisdict. n. 7. Ant. Matth. d. l. § 6.*

7. Criminalem jura merum imperium vocant *l. 3 ff. h. t.* cui opponitur mixtum. Merum autem tametſi ſic dicatur, quod ſit à juris dictione ſejunctum *arg. l. bona fides 31. ff. depoſ. l. 5. ff. de V. O. l. 82. ff. de Cond. & demonſt.* & ex ſola animadverſione definiatur *d. l. 3. ff. h. t.* non eſt tamen ſimpliciter ſejunctum ab omni jurisdictione, ſed ab ea tantùm, quæ jure Magiſtratus competit, quæ quaſi ſuum ſibiq; proprium fecit jurisdictionis nomen *Gov. lib. 2. d. jurisd. n. 8.* nam quod in cognitione æquè ac animadverſione *l. 11. ff. de off. proconſ.* poſitum ſit, conſtat ex *l. 1. ff. de off. ei. cui mand. jurisd. l. 6. pr. ff. de off. proconſ. l. 1. § 4. ff. de off. præf. Urb. l. pen. ff. de Calum. l. 5. pr. ff. de Var. & extr. cognit. l. unic. C. de off. Proconſul. & Leg. l. 3. ff. de pæn.*

8. Aliquandò tamen accidere poteſt, ut alter Magiſtratus habeat jus incarcerationis, uti *Colonia Agrippina*, alter vitæ necisq; poteſtatem ut *Archiepiſcopus Coloniæ*, docente *Sleidano lib. 6. comment. cir. fin pag. m. 175.* in enumeratione duorum Studioſorum, Petri Fliſtedij, & Adol-

phi

phi Clarebachi, hominum Literatorum, qui anno Chriſti 1529. Coloniæ combuſti ſunt, eô quod de cæna Domini, cæteriſq; veris dogmatibus diverſum à pontificiis ſentirent. Uti etiam *Spirenſis* Civitas in Camerales habet Executionem, at Camera merum imperium, quod in cognitione proceſſu ac condemnatione verſatur *Matth. Stephan. lib. 1. c. 3. n. 65. de jurid.*

9. Merum igitur Imperium, quod Principi competit ſuo & proprio jure *l. 1. ff. de off. ejus* Magiſtratui beneficio principis ejusq; expreſsâ conceſſione *l. 3 l. 4. l. 6. §. pen ff. de off. præſid. l. unic. de off. præf. Auguſt.* Definitur ab Ulpiano *l. 3. ff. h. t.* magis ad ſtatum temporis, quam ad imperij naturam, qualis nunc eſt reſpiciente, quod ſit poteſtas gladio animadvertendi in facinoroſos homines. Ubi gladij vocabulum non propriè ponitur, ſeu materialiter, ut in *l. 8. §. 1. ff. de pæn. l. 30. § fin. C. ad L. Jul. de adult.* ſed Synecdochicè & generaliter pro poteſtate, quâ delicta ultimo ſupplicio aut graviter puniuntur, ſeu pœna, quâ ex delicto ad Reipublicæ vindictam puniendus eſt reus ſeu plectendus *l 6. pr ff. de off. proconſ. l. 70. ff. de R. J. l. 6. § 8. ff. de off. præſ.* cujus pænæ quot ſunt gradus *l. 28. ff. de pæn.* tot ſunt meri gradus imperij *Zaſ. ad l. 3. n. 25. & ſeqq. ff. de jurid.*

10. Atqui pro quantitate pænarum, quæ concernunt caput hominis, tres præcipuè ſunt gradus *l. 6. §. f. l. 7. & 8. ff. de pæn.* Prioris, pænæ ſunt Capitales, κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictæ, ut animæ amiſſio, ad beſtias damnatio *§. 3. Inſt. de publ. judic. l. 21. ff. de pæn.* Poſterioris, pœnæ ſunt vitam civilem adimentes: veluti in metallum datio, perpetua incarceratio, deportatio, vel loco ejus ad triremes damnatio, excommunicatio, & imperiale bannum *l. 8. §. 4. l. 17. pr. & §. 1. l. 2. pr ff. de pæn. §. 2. Inſt. de Cap. dem. Gail. 2. de pace publ. obſ. 1. n. 22. & 23.* Tertij gradus pænæ ſunt corpus tantùm, aut exiſtimationem, ſalvo vitæ libertatis & civitatis jure afficientes, quales ſunt relegatio, Coercitio corporalis &c. *l. 13 ff. de bon. poſſ. l. 28. §. 1. ff. de pæn. Novell. 90. c. 1. §. 1.* Proin *Maſcard. de probat. Concluſ. 403 n. 4. cum ibi alleg.* gradus quatuor ſecundum 4. Elementa, Et *Bartolum in l. 3. ff. de jurid.* una cum aſſeclis ſex efformantes, lapſos eſſe & hunc merum imperium cum mixto, & majeſtatem cum jurisdictionalibus, quæ tamen hoc paſſu gaudent ſolio proprio, malè admodum commiſcuiſſe oſtendit, *Dn. Hoſpitis mea Parens b. m. Matthias Stephani J Conſultus per totum Europæ tractum decantatiſſimus, lib. 1. cap. 7. tract. de jurid.*

11. Notandum autem hic non erit inutiliter, quod quando in ſententiâ mentio Capitalis pœnæ, nullo expreſſo crimine, facta fuerit, minima in dubio pœna ſit intelligenda Dd. ad l. benignius 18 ff. de LL. l. 42. ff. de pœn. l. 20. in fin ff. de reb. dub. l. 9. de R. J. l. 155. §. ult. ff. eod. c. 18. de pœnit. diſt. 1. Aliàs enim pœnæ genus ſententia compræhenſum, à præſide vel augeri vel immutari nullatenus poteſt. Gotf. in l. 8. ff. de pœn. lit. g. multò minus remitti: quod etiam adeò verum eſt, ut etiamſi injuſtè præſes judicaverit, ac propterea ſententiam ſuam mutare velit, non poſſit, ſed ad Principem referre hoc debeat, ut ipſe ſi ei videatur, reum abſolvat aut alia pœna puniat l. 1. ſ. ult. ff. de quæſt. l. 45. ff. de re jud. l. 27. §. 1. ff. de pœn. Coppen. l. 2. obſ. 114. n. 5.

12. Inſuper notamus, quod vis meri imperii ſit, jus furcas, vel patibula erigendi, Schneid. de feud. part. 2. fol. 33. de beſtiis ſupplicium ſumendi Exod. 21. v. 28. Lev. 20. v. 16. can. 4. cauſ. 15. q. 1. Conſt. Carol. Art. 116. So ein Menſch/ imò in mortuorum cadavera ſæviendi 1. Samuel 17. v. 46. 2. Reg. 9. v. 34. Non obſtante, quod omnia crimina morte extinguantur l. 6. ff. de publ. judic. l. 2. C. ſi reus vel accuſ. mort. fuer. l. 20. ff. de pœn. ingratitudo & accuſatio adulterij morte tollantur, nec cadaver ſequeſtrari ob uſuras aut arreſto, ob debitum etiam guarentigiatum impediri poſſit, quo minus ſepeliatur l. ult. C. de ſepulch. violat. Nov. 60. c. 1. Weſemb. in par. ff. de Religioſ. n. 5.

13. Sed quid de mulcta dicendum? tantum abeſt, ut hanc alicui ſpeciei certæ ſolùm tribuamus, ut potius pro diverſitate juriũ competentium, itemq; caſuum & cauſarum, propter quas mulcta venit imponenda, eam aliquando eſſe meri imperii, aliquando mixti, aliquando ſimplicis jurisdictionis, imò aliquando de Regalibus, ſalvo tamen aliorum judicio, ſtatuere non erubeſcamus arg. l. 4. ff. de interd. & relegat. l. fin. ff. de off. ei. l. 131. ff. de V. S. Reinkingk de Regim. ſecul. & Eccl. l. 2. cl. 2. c. 17. n. 61. Sixtin. tract. de Regal. c. 10. n. 61. Weſemb. in parat. C. de modo mulct. n. 6.

14. Idem ferè & de Carcere, pro qualitate delicti & exercitij cauſarum criminalium & civilium obtinere arbitramur, obſervantes à Dd. conſtitui quadruplicem carcerem, pœnæ nimirum ex l. 10. C. de pœn. Cuſtodiæ l. 3. ff. de Cuſtod. & prob. reor. Pœnitentiæ l. 216. ff. de V. S. l. 8. ſ. 9. ff. de pœn. & Debitorum, qui aliàs vocatur Carcer tædii Coler. de proceſ. Execut. p. 1. c. 6. n. 8. 9. 10. Reinking. d. l. 79. & ſeqq.

15. Mi-

15. Mixtum Imperium eſt poteſtas in cauſa civili aliquid jubendi, & non obtemperantes modicè coercendi *l. 3. l. 4. ff. h t.* Hoc autem dum in ſe eminenti jurisdictioni, cujus non niſi explicandæ, & ad effectum perducendæ cauſa exercetur, ſubſervit, competit etiam muncipalibus Magiſtratibus *l. 4. ff. h. t. Conſultiſſ. Dn. præſes arg. l. 2. ff. de jurisd. l. 1 in f. & l. fin. de off. ei.* Secus ſe res habet, cum eminenti & prædominanti imperio juris dictio ineſt, & illi quaſi in ſubſidium ſaltem accedit; videatur *th. 7. diſp. 2. ad pandect. Ampliſſ. Dn. Præſidis, Præceptoris ac Fautores mei pl. honorandi.*

16. Unde elucet, cum mixtum imperium jurisdictioni cohæreat *l. 1. §. ult. ff. de off. ei* Jurisdictioni inſit *l. 3. ff. h t. Hotoman 7. obſ. 16.* aliud eſſe jurisdictionem, aliud mixtum imperium, ut ut *Cujacius 21. obſ. 20. & Dn. Obrechtus in diſput. de jurisd. & imp. th. 345. & 348. diſſentiant.*

17. Sed revertamur unde digreſſi ſumus. Civilis jurisdictio eſt vel Generalis, cauſarum quarumcunq; *l. 16. ff. h. t.* vel ſpecialis, certarum & ex ſpeciali conceſſione legis confirmantis competentium *l. 6. ff. h. t.* ideoq; alteri demandari non poſſunt, veluti tutoris datio *l. 1. ff. h. t. l. 6. ff. eod. §. 2. Inſt. de tutel.* ratihabitio tranſactionis alimentorum *l. 8. §. 17. & 18. ff. de tranſact.* Conſilij exercitio *l. 2. pr. ff. de off. ei.* Permiſſio tutoribus & curatoribus, ut bona pupillorum & minorum vendant *d. l. 2. §. 1. ff. de off. ei.*

18. Generalis alia eſt propria, quam Canones etiam ordinariam vocant, *tit. extr. de off. jud. ord.* quæ ſuo & proprio jure Magiſtratui competit *l. 5. ff. h. t.* ſimulq; eſt & in jure, & in exercitio juris. Alia non propria, ſive ſubordinata, quæ alieno magis competit jure, & quidem, vel à publicæ, vel à privatæ perſonæ voluntate pendet, proprieq; poſita eſt in facto ſive uſu & exercitio jurisdictionis, jure reſidente in ordinario. Atq; hinc jurisdictio non propria vel Mandata eſt, vel prorogata.

19. Jurisdictio mandata, quam Canones delegatam nominant *tit. extr. de off. jud. deleg.* eſt exercitium jurisdictionis alienæ, quod quis vel in univerſum, vel per partes habet beneficio alieno *d. l. 5. h. t. Sutholt. in diſſ. de jurisd. ſ. 345.*

20. Unde is, cui mandata jurisdictio eſt, nihil proprij habet, ſed mandantis vice fungitur *l. 3. ff. de off. ei.* nec alij jurisdictionem ſibi mandatam mandare poteſt *l. 5. ff. h. t. l. ult. de off. ei.* Non enim principaliter jurisdictionem habet, nec à lege ei datur, ſed confirmatur *l. Et quia 6. ff. h. t.* niſi tamen ſit delegatus principis *arg. l. 5. C. de jud. l. un. C. Qui*

pro

*pro ſua juriſd.* Verùm, quod ſi principes Imperij ſeculares, vel Eccleſiaſtici ſpecialem commiſſionem ab Imperatore ad expediendum aliquid, quod eſt Principi reſervatum, habeant, non poſſunt alteri delegare. *Covarr. lib 3 var. reſol. 20. n. 5.*

21. Mandatarius itaq; ſive ſit privatus, ſive Magiſtratus, etiamſi perſonam delegantis in cauſis delegatis repræſentet, mandati tamen fines excedere non poterit *arg. §. 8. inſt de Mandat.* cum ſtricti juris (engen rechtens) ſint commiſſiones, & à commiſſariis ultra perſonas & cauſas comprehenſas extendi nequeant *arg. l 99. ff. de Verb. Obl.* ideoq; dũ Cognitionem habent, vindictam etiã criminis à teſte citato cõtumace commiſſi, ſibi arrogare non poſſunt, juxt. *Bartol. in l. 14. C. & gl. in l. 13. ff. de Teſtib.* Sed Contrariũ obſervari teſtis eſt *Gail. 1. obſ. 100. n. 11. & 22. Mynſ. 6. obſ. 72. n. 9.*

22. Eveniente enim hoc caſu, qui frequenter obvius eſt, ſub pæna Cameræ Imperialis à Commiſſariis poſſe teſtes citari (quemadmodum etiam in cauſa Sedinenſi contra Anclamenſes factum teſtatur *Sleif. illuſt. not. part. 1. tit. de juriſdict. n. 40.*) eosq; durante contumacia in pænam declarari, viridis commiſſionum accommodat obſervantia; ita tamen ut facta declaratione pænæ, ulterius progrediendi facultate privati, committentem conſulere neceſſe habeant. Et quidem in Camera Imperiali teſtes refractarios, ad partis producentis vel Commiſſariorum inſtantiam, banniri ſolere docet. *Gail. d. l. n 12.*

23. Cæterùm hic minus incommodè occurrit illa quæſtio, Num Executor ſuper Exceptionibus directò ſententiam oppugnantibus, veluti nullitatis, falſorum inſtrumentorum &c. pronunciare poſſit? Diſtinctè reſpondemus. Si Executor expreſsè falſas & frivolas Exceptiones deprehenderit, tum quin exequi poſſit, nulli dubitamus per *l. 2. C. ad L. Corn. de falſ.* ſin minus veritati abſonas perceperit, ratione falſorum quidem inſtrumentorum partes audire poteſt, non autem ſuper his pronunciare; ſed ad priorem competentem judicem eas remittere tenetur *l. 75. ff. de judic. vid. Mynſ. cent. 3 obſ. 69. per totum Gail. 1. obſ. 115.*

24. Simile quid obtinet in prorogata Jdictione: Nam jus prorogationis ultra caſus non expreſſos, minimè debet extendi *arg. l. pen. C. de pact.*

25. Eſt autem Prorogatio, juriſdictionis à litigantibus extra limites ſuos productio, ſc: quando judex incompetens aditur ex conventione partium, vel expreſſa, non tamen nuda, quin pænitentiæ locus ſit *l. 18. ff h. t.* vel tacita, idq; facto litigantium per litis conteſtationem *l. 4. C. h. t.* aut Legis authoritate, per reconventionem *l. 11. §. 1 ff. h. t. l. 22. ff. de judic. l. 14. C. de ſent. 1.*

inter

*C. de ſent. & inter loc. judic. auth. ſequenti C. eod. Novell. 86. §. illud v. ſancimus. Bernhard. Urſin de reconv. c. 4. n. 1.*

26. Verum enim verò cum hodie jurisdictiones omnes ferè cœperint eſſe patrimoniales aut feudales *arg 1. F. 1. §. Et quia 1.* & non minus ac alia bona, ad poſteros ſucceſſione, vel ad alium emptionis, aut quocunq; alio titulo transferri poſſint, Magiſtratus ordinarij ſubditos ſuos, ne citati compareant, prohibere, & cauſas in alieno judicio pendentes avocare poſſunt. *Gail. 1. obſ. 40 n. 2. Pautmeiſt. l. 1 de jurisd. c. 27 n. 43 Coſtal in l. 1 de jud. Ampl. Dn. Præſes in Colleg. ff. Diſp. 2. § 11.* Hinc & laici ejus, quem habent ordinarium judicem, tribunal, etiam præſente in loco ſummo Principe, non poſſunt defugere, niſi puniri velint tanquam contumaces *l. ult. in f. C. ubi quis de Curial.* Idem obtinet in Feudalibus cauſis, ubi Dominus & Vaſallus litem inter ſe ratione feudi ortam, apud Pares Curiæ ſive judicium Parium, vulgò daß Manngericht dictum, diſceptare, *2. Feud. 16. & 39. §. 1.* Et Convaſalli de feudo principaliter contendentes in Domini curia litigare compelluntur *2. F. 55. § ult.* nec poteſt jurisdictionem Dominus feudi, niſi in ſui ipſius præjudicium, prorogare, uti reſpondit *Baldus conſ. 121. n. 25.* Et hoc adeò verum eſt, ut etiam valeat de Vaſallis jus reddendi poteſtate gaudentibus, quibus invitis & ignorantibus in alios jurisdictio transferri non poteſt *l. id quod noſtrum 11. ff. de R. J.* Sic etiam Clerici non poſſunt ſibi conſtituere Laicum judicem, etiamſi proprium juramentum & adverſarij conſenſus accedat *c. 12. ext. de for. Compet. arg. l. 7 § 16. ff. de pact. Novell. 51. c. 1. Auth. ſtatuimus C. de Epiſc. & cler.*

27. Et ſic in imperio uſu ſervari, quod rarò admodum prorogatio jurisdi fiat, niſi inter perſonas extraneas in peregrinis locis, quod vocatur das Gaſtrecht notat *Johan Manachus in tr. de Id. tit. de prorog. c. 2. n. 6.*

28. Quin itidem contrahendo & delinquendo tam Clerici, quam laici jurisdictionem alterius prorogant, utpote ſi in alterius foro contraxerint, deliquerint aut peccarint *l. 21. ff. de obl & A. l. 45. §. 1. ff. de judic l. 1. & auth. qua in provincia C. ubi de Crim. c. 17 Ext. de for. Comp.* Planè in Cauſa Appellationis prorogationem non admitti manifeſtum eſt *l. 21 ff de Appell.*

29. Regulariter igitur tam in Criminalibus quam Civilibus cauſis; Magiſtratus cognoſcunt, ſub quibus reus forum ſortitur, vel ratione Domicilii *l. 2. C. de jurisd. omnium. jud. l. 19. §. f. ff. de jud.* tum Originis *l. 6. § 1 ff. ad munic. l. 3. C. de municip.* ſi præſens ibidem conveniatur *Alexand. in l. 19. n. 5. de Jurisd. Gail. 2. obſ. 36 n. 10. Rosbach. in praxi Civil. t. 3. n. 10.* (Hodie autem hic modus ſortiendi forum receſſit ab uſu, cum periculoſum ſit

ſuſtinere, quod ratione originis propriæ vel paternæ, cujus Jurisdictionem & munera jam perdidit, poſſit quis conveniri, ſi alibi habeat domicilium, ubi ſubſiſtat *l. 6. & 7. C. de incolis Gail d. l. n. 7. Vult. ad l. 2. n. 23. C. de Jurisd.*) tum Habitationis, ſive præſens ſive abſens ſit *l. 4 §. 5. ff. de damn. inf.* modò purè inita ſit obligatio, & tempus movendæ actionis, & contractus inſpiciatur *per l. 2. C. h. t. Bachov. ad Treutl. vol. 1. diſp. 3 th. 8. lit. C. & D.* Qui autem certum domicilium habitationis non habent, ubiq; conveniuntur, & per edictum publicum in jus vocari poſſunt; quandocunq; enim de foro rei non conſtat, tum ſortitur reus forum ubicunq; locorum reperiatur *l. 1. C. ubi quis de Curial. vel Cohort. & ibi Gothof. lit. n.* maximè ſi res paratam executionem habeat, *Coler. de proceſſ. Execut. p. 2. c. 1. n. 78. & ſeqq.* Qui autem exempti ſunt, ut Studioſi, viduæ, pupilli, pauperes aliæq; miſerabiles perſonæ, jus revocandi habent ad judicem privilegiatum, *per auth. habita C. ne filius pro patre l. unic. C. quando Imp. inter pup. vel vid. Bachov. ad Tr. vol. 1. diſp. 3. th. 10. lit. E.*

30. Etſi autem hic modus generaliſſimus eſt ſortiendi forum in loco domicilii, ſive de Contractu, ſive de delicto, ſive re agatur *l. 2 §. 3. l. 19. §. 2. & ult. l. 20. ff. de jud. l. 5. pr. C. de jurisdict. l. fin. C. ubi in rem act. exerc. l. 3. C. ubi Cauſa ſtat. ag. c. fin. ext. de for. Compet.* eſt tamen in Actoris arbitrio, pluribus concurrentibus, ut ipſe eligat ubi reum convenire velit *vid. Vult. l. 2. de J. R. c. 1. n. 44.* Cœpta verò ſemel coram judice domicilii inſtantia mutatione domicilii non perimitur, ſed ubi cœpta eſt, debet finiri *l. 7. ff. de judic. l. 30. eod. Gail. 2. O. 36. n. 13.*

31. Proxima domicilio ſortiendi forum cauſa eſt obligatio contracta. Contrahentes namq; ita inter ſe tacitè conveniſſe præſumuntur, ut orta inter ſe de contractu controverſia, in foro contractus cognoſci ac judicari debeat *l. 3. ff. de reb. auth. jud. poſſ. l. 35. ff. de R. J. l. 6. ff. de Evict.* modò reus in loco conrractus reperiatur *l. hæres §. 2 de judic.* aut bona ibi habeat, in quæ miſſio fieri poſſit *arg. d. l. 19. §. 1. ff. de jud. l. 19. de in jus voc. c. 1. §. contrahentes de foro Comp. in 6.* Dantur tamen caſus, quibus Magiſtratus reum etiam invitum in locum contractus remittere tenetur, non attento, ſive reus ibidem depræhendatur, vel bona ibi habeat, nec ne. Adminiſtrans enim negotia, ut tutelam, curam, &c. ibi rationes reddere tenetur ubi geſſit, quamvis ibi non inveniatur nec depræhendatur *l. 1. & 2. C. ubi de ratiocin.* cùm interſit Magiſtratus pupillis ſatis fieri, ne ipſemet deinceps conveniatur data in ſe actione ſubſidiaria *§. 2. Inſt. de ſatisd. tut. & cur. t. t. ff. & C. de Magiſt. Conven. & eor. her.* Deinde etiam is, qui renun-

ciando

ciando foro ſe certo loco, mota de Contractu lite, reſpondere ſub juramento promiſit, ibi conveniri, & ne perjurus fiat, ut in loco contractus compareat, per judicem domicilij compelli poteſt *arg auth. & qui. C. de bon. auth jud. poſſ. c. 8 & 28. Ext. de jurejur.*

32. Præterea ratione delicti alterius provinciæ reum in loco criminis tam inchoati quàm perpetrati forum ſortiri, & lippis & tonſoribus notum eſt, indeq; indubitati juris *l. fin. ff. de Accuſ. l. 1. C. ub. de Crimin. agi oport. l. 3. ff. de remilit. Novel. conſt. 69. c. 1.* Nec poteſt reus excipere contra forum judicis, in cujus territorio deliquit: nam cujus judicis jurisdictio violata eſt, ejus etiam vindicta & pæna eſt *l. 3. & 13. pr. ff. de offic. præſ.* etiamſi nemo ſit, qui accuſatione inſtituta crimen puniri petat. *arg. l. 2. §. 6. ff. ad l. jul. de Adult. l. 7. C. de Accuſat. l. 1. C. de Cuſtod. reor.*

33. Ut autem judici, in cujus jurisdictione deliquit facinoroſus, ob vindictam eundem petenti ante, vel poſt judicium cæptum, remittatur puniend⁹ prout olim ex legis neceſſitate requirebatur *l. 7. ff. de Cuſtod. reor. l. 7. §. pen. & ult. ff. de Accuſ. Novell. 134. c. 5. Nov. 69. c. 1. auth. qua in provincia. C. ubi de Crimin. ag oport.* id hodie neutiquam amplius obſervari teſtatur *Johan Köppen deciſ. 43. n. 19* Et in Germania inter ſtatus Romani Imperij, quod principes & Civitates quandoq; ultrò & ſponte ſua aliis principibus & Civitatibus remiſſionem petentibus de ea gratificari ſoleant, ex urbanitate, & quidem jure amicitiæ, vicinitatis atq; benevolentiæ fieri, ſi prius præſtitâ ſub antigrapho ſeu literis reverſalibus cautione, ſe id precibus obtinuiſſe ſine jurisdictionis præjudicio auff einen Reverß vnd fegen Befandnüß ſeq. parili caſu idem facturos polliciti fuerint, docet *Weſemb. parat. ff. de jud. n. 16. & de Accuſ. n. 8. Gail. lib. 1. de PP. cap. 10. n. 30. 31. 32. Schleiſ. ill. not. part. 1. n. 33. p. 73 Matth. Steph. 1. c. 30. n. 17. de jurid. Herm. Vult. tom. 1 conſ. Marpurg. conſ. 16. n. 45. Hanon diſp. 1. ad ff. § 9.*

34. Quartò deniq; connexitas ſeu Continentia cauſæ, quæ non eſt dividenda *l. 3: l. 10. C. de judic.* reo forum tribuit *tot. tit. ff. de quib. reb ad eund. jud. eat.* Sic ſi plures rei diverſi fori ſint, atq; ex una eademq; cauſa conveniendi veniant, tunc ratio continentiæ h. e. rei controverſæ connexitas, quæ uno eodemq; vult terminari judicio *l. 10. C. de jud.* immediatè jurisdictionem Cameræ fundare poteſt. Nemo enim ejusdem rei nomine tum in Civilibus, tum in Criminalibus litigare cogitur ſub diverſis judicibus, ſed niſi quid obſtet, ſtatim ſuperiorem adeundi copia conceditur *l. 1. ff. de quib. reb. ad eund. jud. eat. Gail. 1. obſ. 32. Matth. Steph. l. 1. c. 32 de iurid. Mindan. tract. de Contin. Cauſæ c. 2.*

35. Cæterùm diverſi judices ſeu Magiſtratus habent juriſdictionem vel (1.) Communem, quæ competit conjunctim univerſis, quorum altero abſente, deciſio alterius annihilatur *l. 36. l. 37. ff. de re jud.* Sic cum Magiſter officiorum & quæſtor ſacri palatij talem haberent juriſdictionem, appellatio etiam communi audientia propoſita in auditorio ſimul ventilari debuit & ab utroq; exſpectari deciſio *l. 38. C. de Appell.* vel (2.) Concurrentem, quæ competit cumulativè pluribus, ita tamen, ut ſub quo judice lis eſt cœpta, ſub eodem jure præventionis (quæ fieri non ſolùm poteſt per L. C. ſed etiam citationem ſolam, & quidem unicam & verbalem, modò inſinuetur parti; etiam per capturam & incarcerationem in Criminalibus *Dd. in l. ſi quis 7. ff. de jud.*) & judicij cæpti finiatur *l. 30. ff. de jud.* ratâ cujusq; deciſionis absq; alterius præjudicii ſuſpicione ſententiâ. Sic ſi de Imperii feudo contentio ſit, Imperialis Camera cognoſcit, ſi litigantes priùs Cameram Imperialem, quàm Imperatorem adeant, quo caſu præventio locum habet *Borch. de feud. c. 10. n. 1. 2. 3.* Secus eſt in caſu qui in *ordin. Cam. part. 2. t. 7.* Imperatori expreſsè reſervatus eſt, ut cum de Ducatibus feudisq; imperii regalem dignitatem annexam habentibus, in petitorio judicio definitivè pronunciandum eſt (wen ſie einem Theil gentzlich vñ endlich ſollen abgeſprochen werden) ubi remotâ tam Parium quam Cameræ Imperialis cognitione *arg. 1. Feud. 18. 2. F. 34. pr. Aur. Bull. Carol. 4t. t. 5.* Solus Imperator, aut in eius abſentia Rom. Rex intra Imperii terminos judicat. Ordnung des Regiments *de anno 1521.* §. ob auch *Ord. Cam. d. l.* Cujus etiam conſequenter eſt cognitio, cum de Capite & vita Principis Imperij agitur *arg. l. 4. ff. de Senator.* adhibito tamen ad arduum iſtud negotium Electorum & Procerum conſilio *arg. l. 8. C. de LL. Cap. Caſ. art. 30.* vel (3.) Separatam quæ duobus competit privativè & ob diſtinctam Juriſdictionem jus cognoſcendi ac judicandi ſolidum unicuiq; contribuit, uti Proconſul vel præſes & Procurator Cæſaris diſtinctam habent juriſdictionem *t. t. de off. proconſ. t. t. de off. præſ. t. t. de off. procur. Cæſ.* Sic etiam in Civitate Gryphiswaldenſi &c. diverſi ſunt Magiſtratus, nimirum Academicus & Urbanus, qui ſeparatam habent Juriſdictionem non ſolùm in Civilibus, verùm etiam in Criminalibus cauſis *Matth. Steph. lib. 3. de Id. part. 2. de Academ. c. 1. n. 24.*

36. Et hîc locum habet quod dicitur, ſupra & extra territorium jus dicenti impunè non paretur *l. 10. & fin. ff. de Id. l. 3. de off. præſ.* quod ipſum eſt effectus ſeparatæ Juriſdictionis, & qui Juriſdictioni præeſt, neq; ſuperiori aut æquali, niſi ſpontè ſe ſubjecerint *l. 14. h. t. l. 4. de recept. qui arb. rec. l. 58. ff.*

*l. 18 ff. de jud.* neq; ſibi jus dicere debet, neq; uxori vel liberis ſuis, neq; libertis neq; cæteris quos ſecum habet. *l. 10. ff. h.t. l. un. C. nequis in ſua cauſa l. un. §. pen. C. ubi Senator.* niſi partium voluntate ſit datus & electus judex *l. 77. ff. de judic.* Nobilis tamen in ſuo feudo, itemq; Dominus habet Juriſdictionem in ſuam familiam ſeu Domeſticos ſuos *Alex. Jaſon. & alij in l. 10. h. t.* Quæ dicitur communis opinio, & ſic quoq; inter Nobiles ſervatur in Pomerania, daß eines jeden Geſinde für jhren Junckern muß beſprochen werden/quæ conſuetudo LL. approbatur per *text. Cap. cum Contingat 13. Ext. de for. Comp.*

37. Nunc videamus, quomodo Juriſdictio acquiratur. Acquiritur autem vel præſcriptione per Magiſtratum, qui demum habile ſubjectum eſt præſcriptionis *l. 8. C. de diverſ. off. Bachov. ad Tr. vol. 1. diſp. 3. th. 7. lit. C.* cum territorio ut res immobilis longo tempore; ſine territorio ut res incorporalis longiſſimo, cum titulo ſc. & bona fide *l. f. C. de præſ. long. tem. c. 15. c. 18. Ext. de præſcript.* Nam ſi ſine vero titulo uſurpetur, ad immemoriale tempus recurrendum eſt, quod vice tituli eſt *l. 3. §. 4. ff. de aqua quotid. & æſt. c. 26. § præterea ext. de V. S.* vel ſpeciali Conceſſione Principis, penes quem dicitur omnis eſſe juriſd., & ab eo, veluti perenni fonte in reliquos promanare, & ad eundem refluere uti ex oceano flumina fluunt, & ad eundem refluunt *l. unic. ad L. Jul. de Amb. Hænon ad ff. diſp. 1. th. 6. lit. b.*

38. Et illa Conceſſio eſt vel Cumulativa vel Privativa. Cumulativa eſt, quando ſuperior Dominus vel Magiſtratus non ita confert inferiori, ut ſemetipſum eâ privet ac deſtituat, ſed ſaltem ut inferiorem Magiſtratum ſibi quodammodo accumulet, ac quaſi adjungat, non ut ambo ſimul de eadem cauſa vel lite judicent aut cognoſcant, ſed ut liberum ſit partibus litigantibus, an velint cauſam apud hunc vel illum introducere & cognoſcendam proponere: Privativè Conceſſa eſt, cum ſuperior Magiſtratus inferiori juriſdicendi authoritatem ita concedit, ut ſeipſum eadem authoritate privet, prout in pleriſq; civitatibus Magiſtratus à ſuperiori Domino juriſdictionem ſive cauſæ cognitionem habent privativè, puta quoad primam inſtantiam *vid. th. 35.*

39. Imperator verò ſubditis non privativè, niſi in caſibus ſpecialibus, quos enumerat *Menoch. 2. præſumpt. 18. n. 4. & ſeqq.* ſed Cumulativè, ſalva videlicet ſuperioritate, recognitione & fide, juriſdictionem conceſſiſſe putatur *arg. l. 1. C. de off. præf. Urb. c. 14. de præbend. in 6.* Principes quoq; Imperij tam Eccleſiaſtici quam ſeculares, etſi Imperatorem recognoſcunt ſuperiorem, tamen juriſd. & ſpecialem, & imperiũ tam merũ quam mixtũ

poſſunt in feudum concedere, cùm quilibet Princeps Magiſtratus ſit perpetuus, & tantum in ditione ſuâ, quantũ Imperator in Imperio, poſſit *Weſemb. Conſ. 27. n. 28.* Ex jurisdictionis tamen conceſſione non ſtatim inferri poteſt Imperij & extraordinariæ jurisdictionis conceſſio, quippe hæc ſpecialiter & nominatim verbis vel ſpecialibus *l. 1. ff. de off. ei.* vel generalibus, modò à Principe vel lege, tribui debent *l. 7. §. 2. l. 8 ff. de off. Proconſ.* Nam expreſſum & illud eſt, quod verba generaliter præ ſe ferunt.

40. Quin etiam in dubio intelligitur cumulativè, & non privativè conceſſa, puta quandò jurisdictio per modum privilegij tributa, ut is cui data eſt eo modo jurisdictio, habeat concurrentem cum concedente. Secus eſt in jurisdictione in feudum alteri conceſſa, vel alio contractu data: hæc enim non cumulativè, ſed privativè in dubio conceſſa putatur *2. F. 52. §. 2.* Translato enim utili, quod fit per conceſſionem feudi, dominio, omnem jurisdictionem, uſum & utilitatem translatam arbitramur, in qua feudatarius directo domino, qui uſum à ſe abdicaſſe cenſetur, meritò eſt præferendus *2. F. 8. v. rei autem Bocer. Claſſ. 4. Diſp. 10. th. 69. & in tr. de inveſt. feud. c. 4. n. 100. Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 18. Dn. Præſes in Coll. Feud. Diſput. 4. th. 16.*

41. Caſtro autem ſimpliciter absq; mentione jurisdictionis conceſſo, Jurisdictio non intelligitur conceſſa, niſi caſtro jam ante & quidem tunc, ubi concederetur, cohæreat. Nam jus dicere non prædij, ſed perſonæ proprium eſt, & quamvis jurisdictio quandoq; ſit acceſſorium caſtri, non tamen ſtatim eſt acceſſorium neceſſariò cohærens; Indè eſt, quod ſeparatam habeant naturam, & jurisdictio poſſit eſſe penes unum, caſtrum penes alium.

42. Quandoq; tamen inter duos vel plures Dominos oritur de Jurisd. cõtroverſia, quæ in judiciam deducitur, & certis de jure proditis remediis, de quibus in *Th. 44.* ventilatur. Ut autem iisdem Jurisdictionem ſuam quis recte tueatur, neceſſe habet probationem intentionis ſuæ præſtare. Jurisdictionis autem probandæ forma & ratio varia eſt ac multiplex, puta per notorietatem *Bald. in l. fin. n. 42. C. de edict. Div. Adrian.* Inſtrumenta, privilegia *Bald. Conſ. 161. vol. 3. per l. Cenſus 10. de probation. l. 6. C. de relig. & ſumpt. fund.* per teſtes etiam ſingulares in loco, tempore & perſona *Gail. 2. obſ. 66. n. 11. Monach. c. 6. n. 10. de Jurisdict.* modò de actibus exercitæ jurisdictionis teſtentur *Montan. tr. fin. Regund. cap. 5 2. n. 5.* Item per antiquam formam & per præſumptionem juris, quâ unumquodq; præſumitur illius eſſe Jurisdictionis, cujus eſt territorii, cujus viciſſim fines & per-

tinentiæ

tinentiæ diſtinctæ interdum cognoſci poſſunt per ſigna tàm naturalia, eaq; perpetua ac immutabilia, veluti montes, flumina, vias regales & ſimilia; quàm artificialia opera ac opinione hominum determinata aut ſeparata, veluti per lapides transversè poſitos, atq; alia ſigna ad diſcriminandum hoc porrecta *Weſemb. in parat. ff. finium Reg.*

43. Jurisdictionis verò argumentum eſſe præſtationem gallinæ ſeu pulli annui Germ. daß rauchhun tradit *Ernest. Cothm. Conſ. 42.* Sic decimare eſt fructꝰ jurisdictionis conſuetudine introductus & receptus § wo aber unſer *in pacificat. Relig. anno 1555.* compoſita, concernitq; rem ipſā adeoq; jus atq; onus eſt reale § Alſo auch ſo der Nachſtewr halben *Receſſ. Ratisbonenſis anno 1594.* habiti. vide *Thoming. deciſ. 26.*

44. Diximus §. 42. quod certis remediis controverſia Jurisdictionis in judicio ventiletur. Igitur de quaſi poſſeſſione Jurisdictionis controverſæ, ſi nimirum fiat turbatio pro retinenda poſſeſſione, quis experitur utili interdicto uti poſſidetis *Schneidvv. in §. retinendæ 4. Inſt. de Interdict.* Verùm pro Jurisdictionis poſſeſſione amiſſa recuperanda, ſi nimirum quis de quaſi poſſeſſione Jurisdictionis vi, adeoq; atrociter dejectus ſit, agere poteſt ſpoliatus interdicto Unde Vi. *Weſembec. in par. ff. de vi. & vi. armat. n. 9.*

45. Cæterum cùm hodie violatur alterius Jurisdictio, non tantùm contra turbantem vel deijcientem competit actio injuriarum *arg. l. Injuriarum 13. §. ult. & 22. ff. de injur. Menoch. remed. 3. de retinend. poſſ. n. 606. Gail. de P. P. obſ. 27. & 29. Weſemb. Conſ. 33. n. 14. & Conſ. 43. n. 94.* Sed etiam Criminaliter, ex Conſtitutione pacis publicæ agitur, adeoq; in alienam Jurisdictionem invadentes capitale judicium proditum eſt, de quo latè *Gail. in tr. de P. P. Weſemb. in par. de jurisd. n. 19.*

46. Hæc de Jurisd. Conſtitutione & conſervatione: ſupereſt, ut conſtitutam finiendi modis juſto ordine diſſertationem hanc noſtram claudamus. Finitur autem Jurisdictio morte ejus, cui ea commiſſa eſt & qui eam exercuit *c. 20. de off. deleg. in 6.* quia in ipſius non in alterius perſona fundata, adeoq; quia Magiſtratui cohæret, ut ait *l. alt. C. ubi & apud quem cogn.* etiam cum ipſo Magiſtratu finitur. Moribus noſtris propria Jurisdictio Secularium Principum aliarumq; Perſonarum illuſtrium, morte nunc non ſolvitur, ſed, ut alia patrimonialia, ad hæredes tranſit, etiam minorennes, quorum nomine à Tutoribus adminiſtratur *Aur. Bull. tit. 7.* Eccleſiaſticorum verò ut & præſidum Jurisdictio morte tollitur, quia perſonalis eſt, cujus generis quæ ſunt, morte intereunt *l. in omnibus 65. ff. de R. J. l. 196. ff. eod. l. 23. pr. de acquirend. poſſeſs.*

47. Adi-

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732591236/phys_0017 DFG

47. Adimitur Juriſdictio non utendo & malè utendo *arg* §. 3. *Inſt.* & *l. 16. pr. C. de Uſuf. l. 13. C. de ſerv. & aq* puta ob nimiam ſævitiam in ſubditos & expilationes *arg.* §. 2. *Inſt. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt. l. un. C. de emend. ſerv.* Nam abutens privilegio, meretur id amittere *gl. in c. ſuggeſtum 9. de decimis c. privilegium q. 3.* Sicut Vaſallus privatur feudo, ſi id diſſipet aut inſigniter deterius reddat *arg. 2. F. 8. §. econtrario 2. F. 27. §. quicunq; 2. F. 24. §. præterea.*

48. Revocatur Juriſdictio culpa, ſi quis in bannum imperij (des heiligen Reichsacht) incidat, talis enim à fide & tuitione ſacri imperij excluditur, & in diſcrimine vitæ fortunarumq; conſtituitur nihilq; proprij retinet. *Gail. l. 2. de P. P. c. 1. n. 21.* Quod de criminis convicto facinoroſo intelligimus *arg. 1. F. 7. 1. F. 21. 22.* aliàs ante convictionem non dignitate, ne dum vitâ, ac facultatibus privandum arbitramur *l. unic. C. de reis. poſtul. l. 17. §. 12. ff. ad Munic. l. 7. ff. de muner. & honor.* Sicut parili paſſu Juridicam facultatem Marpurgenſem à Senatu hoc Roſtochienſi conſultam, ad quæſtionem, An Senator, qui arguebatur alicujus maleficij moveri Senatu poſſit, antequam criminis fuiſſet convictus *anno 1621. 5. Decembr.* negando reſpondiſſe cognovimus.

49. Extinguitur Juriſdictio ſingulis in cauſis extinctâ inſtantiâ vel lite *l. 13. C. de jud.* nec non appellatione interpoſita *cap. ut debitus honor 5. Extr. de Apellat.* item recuſatione judicis ob juſtam cauſam, puta inimicitiam, familiaritatẽ, propinquitatem, qua parti alteri, ut obtinet *ſtatutis Lubecenſibus l. 1. tit. 1. art. 9.* in tertio gradu æquali (quo matrimonia etiam prohibentur) conjunctus eſt. Ubi de jure Civili ſufficere ſolam allegationem ſuſpicionis, per *d. l. apertiſſimi C. de judic.* At de iure Canonico requiri probationem quoq; & ſententiam, tradit per *c. 5. de off. deleg. in 6. Weſembec. in par. ff. de Juriſdict. Matth. Steph. 1 c. 39. n.* 23. Utroq; verò jure tam ordinarium quam delegatum recuſari poſſe evincit æquitatis ratio *l. 9. in f. pr. ff. de liber. cauſ. l. 16. C. de jud. l. 4. C. de Jurisd. l. 10 ff. eod. c. 39. ext. de off. deleg. c. 61. ext. de Appell.*

50. Mandata Juriſdictio exſpirat renunciatione Mandatarij, revocatione Mandatoris, & morte alterius, re adhuc integra, nec dum negotio per citationem geri cæpto *§. 9. & §. ſeqq. l. 6. ff. mandat. c. 20. X. de off. deleg. l. 58. ff. de judic.* item termino, intra quem delegatus jus dicere vel judicare juſſus erat, elapſo *c. 4. X. de off. deleg.* Prorogata evaneſcit contraria conventione, re ſimiliter integra i. e. judice electo, nondum adito *l. 18. ff. h. t. Weſemb. in par. ff h. t. n. 14.*

JEHOVÆ ZEBAOTH individuæ Trinitati
ſit laus in ſecula ſeculorum.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732591236/phys_0018 DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732591236/phys_0019
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732591236/phys_0020
DFG

tinentiæ diſtinctæ interdum cognoſci poſſent … naturalia, eaq;
perpetua ac immutabilia, veluti montes, fl… les & ſimilia;
quàm artificialia opera ac opinione hominu… aut ſeparata,
veluti per lapides transversè poſitos, atq; al… criminandum
hoc porrecta *Weſemb. in parat. ff. finium Reg.* …

43. Jurisdictionis verò argumentum eſ… n gallinæ ſeu
pulli annui Germ. daß rauchhun tradit *Erneſt* … Sic decimare
eſt fructꝰ jurisdictionis conſuetudine introdu… § wo aber vn-
ſer *in pacificat. Relig. anno 1555.* compoſita, co… ſa adeoq; jus
atq; onus eſt reale § Alſo auch ſo der Nachſte… *J. Ratisbonen-*
*ſis anno 1594.* habiti. vide *Thoming. deciſ. 26.* …

44. Diximus §. 42 quod certis remediis … Jurisdictionis
in judicio ventiletur. Igitur de quaſi poſſeſſio… is controver-
ſæ, ſi nimirum fiat turbatio pro retinenda p… xperitur utili
interdicto uti poſſidetis *Schneidvv. in §. retin…* *Interdict.* Ve-
rùm pro Jurisdictionis poſſeſſione amiſſa r… nimirum quis
de quaſi poſſeſſione Jurisdictionis vi, adeoq;… us ſit, agere
poteſt ſpoliatus interdicto Unde Vi. *Weſem…* *de vi. & vi. ar-*
*mat. n. 9.*

45. Cæterum cùm hodie violatur alter… non tantùm
contra turbantem vel deijcientem competit … n *arg. l. Inju-*
*riarum 13. §. ult. & 22. ff. de injur. Menoch. rem…* *d. poſſ. n. 606.*
*Gail. de P. P. obſ. 27. & 29. Weſemb. Conſ. 33.* … *3. n. 94.* Sed
etiam Criminaliter, ex Conſtitutione pacis pu… deoq; in alie-
nam Jurisdictionem invadentes capitale judic… eſt, de quo
latè *Gail. in tr. de P. P. Weſemb. in par. de juri…*

46. Hæc de Jurisd. Conſtitutione & conſe… eſt, ut conſti-
tutam finiendi modis juſto ordine diſſertati… tram clauda-
mus. Finitur autem Jurisdictio morte ejus, c… eſt & qui eam
exercuit *c. 20. de off. deleg. in 6.* quia in ipſius … perſona fun-
data, adeoq; quia Magiſtratui cohæret, ut ait *l.* … *ad quem cogn.*
etiam cum ipſo Magiſtratu finitur. Moribus n… Jurisdictio Se-
cularium Principum aliarumq; Perſonarum … te nunc non
ſolvitur, ſed, ut alia patrimonialia, ad hæredes … minorennes,
quorum nomine à Tutoribus adminiſtratur *A…* Eccleſiaſtico-
rum verò ut & præſidum Jurisdictio morte to… nalis eſt, cu-
jus generis quæ ſunt, morte intereunt *l. in omni…* *l. 196. ff. eod.*
*l. 23. pr. de acquirend. poſſeſ.*

47. Adt-